

Biblioteca
ASTRA Sibiu

92 105

P.C.N.

S III 12.

1312

56.

THESES MENSTRUÆ.

DE

CAUSIS EXCUSANTIBUS AB INTEGRITATE
MATERIALI CONFESSORIS.

Liber Conventus Quas *Placido*
In communi studio Theo-
logico Exemptæ Congregatio-
nis Benedictino-Bavaricæ in Monte S.
Joannis Evangelistæ Mallerstorphii
instituto

PRÆSIDE.

P. PLACIDO
STAINBACHER

Ibidem Professo, p. t. RR. FF. Studioso-
rum Directore & SS. Theologiae Pro-
fessore ordinario.

Defendent

RR: RR: ac Doctissimi
FF. EDMUNDUS GRIESSENBECKH,
PAULUS SCHALHAMER,
Antiquissimi, & Celeberrimi Monasteris
Tegernseensis professi, SS. Theol. Studioſi.

Mense Augusto M. D. C. XCII.

Cum Facultate Superiorum.

RATISBONÆ,

Typis JOAN: AEGIDIÆ RAITH, - Episcopalis
Ratisbonensis Typographi.



1395 140

REVERENDISSIMO
PRÆNOBILI, AC AMPLIS-
SIMO DOMINO,
DOMINO
BERNARDO,
Antiquissimi, & Celeber-
rimi Monasterii Tegernseensis
ABBATI
VIGILANTISSIMO,
Exemptæ Congregationis Be-
neditino-Bavaricæ dignissimo Præsidio,
Inclitorum Statuum Provincialium
meritissimo Deputato,
**Patri suo optimo, obser-
vandissimo, Domino Gratioso.**

Has Theses Theologicas

Submississimè dicant, dedicant

Fili & Clientes obsequentissimi

FF. Edmundus Griessenbeckh,
Paulus Schalhamer.

सुन्दर लिखा हुआ अंग्रेजी लिपि का एक पृष्ठ।

QUÆSTIO UNICA.

Quæ causa excusat ab integritate materiali confessionis?

Rdo materiæ de S. pœnitentiæ Sacramento, quam post virtutem Pœnitentiæ menstruis disputationibus hucusque exposuimus, postulat, ut proximè præsens ventiletur quæstio homini fragili scitu necessaria. De qua, quoniam gratiòsè concessum est, non unico manu scripto folio (sicut haecenus soliti sumus) sed aliquot articulis agemus publico commissis prælo pro majori legentium utilitate, breviter tamen pro instituti nostri ratione. Sit itaque

ARTICULUS I.

Probabilis opinio excusat non consentientem integrè.

Conclusio i. Qui habet rationes probabiles, quod non peccaverit mortaliter, & similes, ita probabilitates rationes, quod peccaverit, non tenetur ad illud peccatum confessandum, sed licet omittit. Ita Sua.

Sanch. Tamb. & alii. Ratio est, quia huic apprimè facit doctrina de licito usu, & sentatione opinionis practicè probabilis, tradita & explicata fusè in *quest. nostris Theologicis de Act. Human.* q. 14. Quare si probabiliter judices, defuisse tibi perfectam advertentiam, vel te non patrâsse hoc aut illud crimen non obligaris confiteri, esto tibi videatur probabilius, quod perfectè consenseris, vel crimen illud perpetraveris.

Ut autem, quando dubium est, an consensus fuerit plenus, & actus circa objectum mortaliter malum cum sufficiente libertate elicitus, probabile judicium formari possit, servient sequentes regulæ.

I. Habenda est Ratio ætatis: quia si dubitans de plena libertate & pleno consensu sive usu rationis, nondum attigit septennium ætatis, vel etiam est tam devexæ ætatis, ut possit dici *bis puer*, tunc talis rectè judicabit, se non habuisse plenum usum rationis & consensum. Item si dubiter an plenè è somno evigilaverit, aut ebrietatem edormierit, aut distractionem connaturalem excusserit, poterit judicare non adfuisse plenam libertatem & sufficientem consensum ad peccatum mortale. Ratio: hæc enim, cùm perfecta sunt, libertatem impediunt, ergò cùm existunt imperfectè illam diminuunt.

II. Si quis habeat firmum propositum sa-

pius

pius repetitum non committendi peccatum mortale , nec vitiis assuetus sit , deinde verò dubitet de pleno consensu & libertate , potest præsumere defuisse plenum consensum : nam quando aliquid odio multories est habitum , si deinde plenè ametur , facile & sine difficultate id cognoscitur.

III. Si aliquis facile potuisset exequi peccatum , de cuius consensu dubitat , & tamen pro viribus illud respuit , quando plenè suī compos factus est , & advertit , potest judicare , se non consensisse plene in illud peccatum : quia animus non tam facile mutatur.

IV. Quando motus pravus tempore ferè imperceptibili insurgit , paulò post autē , ut quis advertit , curat expellere , signū est nullius , aut certè imperfecti duntaxat consensūs præstiti.

V. Si aliquis sit timoratæ conscientiæ , & non abhorreat tantùm à peccato mortali in certo generē propter specialem ejus turpitudinem . v.g. maledicta ebrietate , eò quòd hominē privet ratione , summō ejus bonō , sed univer- sim ab omni peccato mortali abhorrent , tunc , quando dubitat , an plenè consenserit , potest similiter judicare , se non plenè consensisse . E- contra verò , si quis à peccato mortali non abhorreat , sed facile in illud consentiat , & deinde dubitet de pleno consensu , non potest ita facile præsumere , se plenū consensum non præbuuisse , sed potest potius contrarium præsumere , sc:

Se plenè consensisse in peccatum mortale: quia conjectura ex communiter contingentibus est efficacissima. Ita probat iDD.

Conclus. 2. Qui probabiliter, imò certò scit, se mortaliter delinquisse, habet tamen probabiles rationes, se illud peccatum jam confessum esse, & alias probabiles, aut fortè probabiliores, se non esse confessum, non tenetur confiteri, quidquid aliqui in contrarium dicant. Sic Conink, Leander à SS. Sacramento, Tambur,

Ratio est eadem, quæ Conclusionis prioris: quia talis adhuc operatur nixus probabili ratione, quod ad honestatem operis sufficit; nimis enim misera esset conditio humanæ voluntatis, si in suis operationibus non posset sequi, judicium probabile, ut probatum & declaratum pluribus in cit. quast. de act. Humanis? Hinc sequitur.

Conclus. 3. Quotiescumque est verè probabile, quod non tenearis hīc & nunc, hoc aut illud peccatum in exhomologeterio aperire, licet non aperis. Ita Sanch. Suar. & alii communiter contra nonnullos. Rationem datam non repetimus, ne acta agamus, quod vetamur veteri proverbio.

Opponet nonnemo: ex dictis inferre licet, peccata mortalia dubia non esse necessariò sub dubio confitenda, quia opinio DD. hoc assertum probabilis est, sed consequens, ut mihi

mīhi constat, est contra vos, ergo & antece-
dens: maj. prob. nam sententiam admitten-
tem peccata merē & verē dubia non esse ne-
cessario clavibus subjicienda, probabilitatis
munere donant Lessius, Gobat, Amicus, &
Censores Collegii Romani S. Je. eidem faveat
Leyman; quamvis protelletur, se nil velle de-
cernere, sed aliis considerandum relinguere:
quaet etiam est intentio Haunoldi. Eavit quo-
que Præpositus, vocans eam opinionem spe-
culativè probabilem, & Arriaga dicens, stan-
do in ratione, non carere magna probabili-
tate. Eandem probabilitatem agnoscit Palaq.
ultra hos citantur pro hac sententia Tabiena
Paludanus, Petrus Marchant. & alii. Deni-
que ita docet Ægid. Conink. & latè defendit
ingeniosissimus noster Joan. Caramuel à Lo-
chawiz in *Theol. mor. L. 3. disp. 4.* ut adeo hæc
sententia magnam pro se habeat autoritatem
DD. &c.

Sed neque rationes eorum parvī momentū
esse videntur. Ajunt i. Conc. Trid. sess. 14.
c. 5. afferit sub initium, omnia peccata mor-
talia esse à penitentibus in confessione recensenda,
quorum post diligentem sui discussionem confiden-
tiā habent: irēmque circa medium: ea peccata
ta, quibus se Dominum & Deum suum mortali-
ter offendisse meminerit, reliqua autem peccata
qua diligenter cogitanti non occurruunt, eadē
confessione inclusa intelligi: atqui peccatorum

dubiorum nec est conscientia , nec memoria,
ergo.

Arguunt 2. S. Concil. censendum est eo lo-
co , quo ex instituto tradidit doctrinam de
Sacramento pænitentiae , sufficienter docuisse
fideles , & nequaquam diminutè processisse ;
at , ubi tradit materiam hujus Sacramenti so-
lùm meminit peccatorum mortaliū ac circum-
stantiarum speciem mutantium , ergo peccata
dubia non sunt explicanda , aliàs S. Synodus
diminutè processisset.

Arguunt 3. Tribunal pænitentiae habet
analogiam cum Tribunal forensi : sed in ju-
dicio forensi non admittuntur hæ , similésve
accusationes : *accuso Cajum de latrocinio , quia*
dubito , utrum occiderit ? Titium de furto , quia
dubito , an non furatus fuerit ? ergo neque in
foro interiori admitti istæ accusationes de-
bent , *accuso me de peccato luxuriæ , quia dubi-*
to an commiserim ? de peccato ebrietatis , quia
fortè cum plena advertentia me inebriavi . Præ-
terea in judicio forensi non potest quis con-
demnari ad pænam aliquam determinatam ,
antequam sit convictus , ergo nec in S. Tribu-
nali potest pænitenti pro dubio peccato certa
satisfactio imponi . Si hoc ? ergo nec ad
idem Tribunal peccatum dubium referen-
dum est .

Arguunt 4. Christus instituit Sacramentum
pænitentiaæ , ut necessarium lapsis post Baptis-
mum ,

num, ut constat ex Trid. cit. sess. c. 1. sed ille, qui dubitat, an lapsus sit, non potest simpliciter dici lapsus, imo nec præsumi, quia in dubio factum non præsumitur, sed demonstrari debet. l. in bello ff. de captivis postliminio reversis. & specialiter, nemo in dubio præsumitur deliquisse. L. merito ff. pro socio: ergo

Arguunt 5. In dubio melior est conditio possidentis, ut sumitur ex Reg. ult. J. in 6. & habetur in Reg. 172. & 196. H. sed pænitens cubius de admisso peccato est in possessione siæ famæ ac libertatis, ergo. Ad extremum fundunt se in hoc, quod peccata dubia non sunt materia absolutionis, & consequenter nec Sacerdoti aperienda: ergo à primo ad ultimum ab integritate materiali confessionis non tantum excusat probabilis opinio, verum etiam dubitatio, an hoc, vel illud peccatum commiseris;

Verum moveatur his rationibus & speculativis ad inventionibus, atque etiam adhæreat in ptaxi illis, quisquis voluerit, mihi tam infirmæ apparent ac invalidæ, ut eas in conscientiam meam nec possim, nec audeam admittere. Tengo enim, ac defendo, practicè omnino veram esse sententiam affirmantem, quod peccata mortalia dubia sub dubio sint necessariò confitenda. Ratio 1. Sumitur ex voluntate Christi, ita Sacramentum pænitentiæ instituentis, ut ad illud non solum pecca-

ta certa , sed etiam dubia perferrentur , ut docet perpetua Ecclesiæ praxis , qua fideles in confessione semper sub dubio aperire consueverunt peccata dubia , nec aliter satisfacere existimârunt suæ obligationi. Sic Suar. & Sanch. sic teste Leandro à SS. Sacramentio . (quem Tamburinus Theologum perdoctum vocat) tr. 5. disp. 5. q. 26. alii omnes. Sic semper probis omnibus persuasum fuit , & ab antiquis tanquam certum suppositum , donec super ab uno & altero Authore res hac in controversiam vocata est , & paulatim pluribus si. pata Patronis : qui tamen contra antiquissimam sententiam in negotio tanti momenti , & in re ex solo jure divino dependente non possunt Authoritate sua fundare practice probabile judicium , nisi ratione evidenti oppositum demonstraverint , quod hactenus non praestiterunt , nec deinceps praestabunt unquam. Ratio 2. Sumitur ex S. Concil. Trid. cit. c. 5. sic loquente : oportet à penitentibus omnia peccata mortalia , quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent , in confessione recenseri , et si occultissima sint. Jam sic peccata mortalia , quæ sunt in conscientia , debent manifestari : at peccata dubia ut dubia sunt in conscientia , ergo & hæc ut talia debent manifestari juxta claram mentem S. Conc. Trid. &c. Confirmatur , validè : idem conc. L. a. & can. 7. sola peccata venialia à confitendi

fitendi necessitate excepit : nam venialia in-
quit , quibus à gratia Dei non excludimur,
quamvis utiliter in confessione dicantur , taceret
tamen citra culpam , multisque aliis rem odiis
expiari possunt , ergo non sunt excipienda à
DD. peccata mortalia dubia. Quia S. Syno-
dus à peccatis necessariò confitendis venialia
ideo excludit , quòd iis à gratia Dei non ex-
cludamur , atque adeo aperte supponit , reli-
qua omnia necessariò exprimenda esse , qui-
bus à gratia Dei excludimur : atqui peccatis
mortalibus , quæ jam dubia sunt in mente no-
stra , certa autem in oculis Dei , positè , quòd
ante à nobis commissa fuerint , excludimur à
gratia ejusdem , ut est evidens , ergo tenemur
illa confiteri. Ratio 3. Desumitur ex com-
muni consensu DD. quorum omnium usque
ad nostrum hoc novitatis (verba sunt Rasslerii
Abbat. Congregat. Benedictino - Suevicæ)
nimis quām studiosum sæculum una & con-
stans doctrina erat , peccata dubia , eo modo ,
quo in conscientia habentur , esse necessariò
in confessione explicanda. Cujus doctrinæ
initium sanè credendum est ab Apostolis di-
manasse : nam , ut rectè arguit idem insulatus
Doctor , perpetua Ecclesiæ doctrina , in
materia præsertim usuque Sacramento-
rum , luculentum argumentum est Apo-
stolicæ traditionis per constantem fide-
lium praxin ad nos derivatæ . Tradiderunt
quoque

quoque hanc sententiam Doctores Angelicus & Seraphicus, corūmque Præceptor Alexander de Ales, Suar. Valentia Sà, Sotus, Reginaldus, & teste Stoz innumerí alii, inter quos Diana judicat contrariam improbabilem: Leander autem nostram certissimam, Redingus demonstrabilem, indubitatum Thomas Sanch. Card. de lugo, Castrapalao & Martinus Perez.

Neque urgent, quæ Adversarii contra nos excogitârunt argumenta. Nam ad 1. r. sicut rectè dicimur meminisse, & conscientiam habere eorum peccatorum, quæ probabiliter credimus à nobis esse commissa; ita bene dici peccata, de quibus dubitamus, an ea considerimus, in memoria & conscientia nostra existere. Certè neque Adversarii negare audent, nos habere memoriam & conscientiam eorum peccatorum, quorum patimur remorsum: quando enim hic nos pungit, & urget, dicere non audemus, *nihil mihi conscius sum*, sed fateri cogimur, animum conscientium remordere, atque de peccatis mortalibus dubiis, remorsum patimur, cura enim nos remordet de perditâ gratia divina, si forte ejusmodi peccata revera perpetrata fuerint, ergo.

Ad 2. Respondetur, Sacrum Concilium nomine peccatorum mortalium, ac circumstantiarum speciem mutantium comprehendere omnia mortalia crimina, sive certa sive probabilia,

babilia , sive verè dubia sint. Id quod satis supérque declaravit , quando eodem loco à materia necessaria confessionis sola exclusit peccata venialia : nam , ut loquuntur Jure-consulti , *exclusio unius est inclusio alterius.*

Ad 3. Respondemus sacrum confessionis Tribunal convenire quidem analogicè cum Tribunal forensi , sed in multis ab eodem discrepare , ut , quòd idem sit Actor , reus & testis , quòd reo credatur tam pro se , quàm contra se loquenti , quòd hoc judicium non sit validum , nisi accedente rei voluntate. Ex quibus manifestè colligitur , naturam & ob-ligationem hujus sacramentalis judicii non ex conditionibus judicii contentiosi metiendam esse , sed ex voluntate & institutione Christi quem hoc Tribunal ita instituisse , ut illi etiam peccata propriè dubia subjicerentur , ostendit & probat perpetua praxis totius Ecclesiae , communis & antiquissimus DD. consensus & satis clara declaratio sacri concilii Tridentini.

Ad id , quod addebatur , in iudicio forensi non posse aliquē condemnari ad certā pœnam antequam sit convictus , nego paritarem ; nam iudicium externum per se primò institutum est contra reum , ut condemnetur , ergo meritò requiritur notitia facti ex plenis probationibus , sine quibus Judex non possit procedere ad condemnandum reum : at verò internum institutum est potius pro reo , ut absolvatur,

solvatur, gratiamque recipiat, si delictum fateatur: quandoquidem autem obligacionem confitendi peccata sua habet, certa sci-
licet ut certa, dubia ut dubia; quid miri,
quod possit ac debeat talia confitenti certa ac
determinata pœnitentia à Sacerdote imponi
(minor tamen pro peccatis dubiis, quam pro
certis) ad procurandam & certificandam sa-
lutem animarum.

Ad 4. Observandum est, concilium hoc
ipso, quod sine restrictione loquatur, indis-
care, quod Servator noster salutare hoc Sa-
cramentum non tantum instituerit pro iis, qui
certo, aut probabiliter noruunt, se esse lapsos
in peccatum; sed etiam pro iis, qui rationa-
biliter dubitant, num fuerint lapsi? *Ad*
axiomata Juris Respondeo, illa non facere ad
propositum; non enim asserimus, peccata du-
bia Sacerdoti aperienda esse, quasi revera fa-
cta presumantur; absit, sic enim ratio ut dubia,
sed ut certa exprimi deberent; sed hoc asseri-
mus: delicta dubia sub conditione, vel ex
suppositione, si facta sint, prout forte facta
sunt, clavibus subjicienda esse: in quo nulla
irrogatur injuria pœnitenti.

Ad 5. negatur, pœnitentem dubium esse in
possessione libertatis suæ, cum ex communī
consensu Ecclesiæ certo constet, existere præ-
ceptum divinum confitendi peccata dubia.

Ad 6. denique distinguo aut, peccata dubia

non sunt materia absolutionis conditionatæ, nego, absolutæ, concedo: atque hinc facile patet, meram dubitationem non liberare à materiali confessionis integritate, quæ in eo consistit, ut pœnitens omnia peccata mortalia nondum legitimè expiatæ, quoquo modo tam commissa, tam quoad numerum, quam quoad speciem, nullò penitus relicto, Confessario exponat.

ARTICULUS II.

*An fas sit truncare confessionem propter
impotentiam quasi physicam?*

Conclusio 4. Præceptum de facienda confessione materialiter *integra* non obligat occurrente *impotentia quasi physica ex parte pœnitentis*. Ita communis: rei enim impossibilis nulla est obligatio.

Hæc *impotentia locum* habet in multis casibus & personis. I. Si quis diligentí examiné præmisso, non potest recordari omnium peccatorum, quæ commisit, ut colligitur ex Trid. Sess. 14. c. 5. Quin imò, si in horum oblivione venialiter tantum culpabilis existat, sufficere confessionem reliquorum peccatorum, taliquam certum supponit Con. & Laym. II. Quando æger jam capta narratione aliquorum peccatorum, pergere non potest, vel inter confitendum omnino sensibus privatur. III. In

con-

constitutis in subitaneo periculo mortis, vg. in naufragis, vel militibus ad repentinam pugnam vocatis. IV. In hominibus ignotis idiomatis, nec valentibus per signa omnia peccata sua manifestare: nam per signa tempore præcepti tenentur confiteri, ut benè notant Sanct-Gallenses nostri. Per interpretem autem nullo casu obligantur homologeis facere, ne quidem in articulo mortis, quidquid Sylvester, Canus & Sotus articulum mortis excipiant, quia nusquam colligitur, Christum Dominum tanto cum onere præceptum confessionis positivum imposuisse. Ita Victoria, Henriquez, Tannerus & Gobat. V. Accidit physica impotentia aut *quasi*, in mutis simul & surdis, si nec per scripturam, nec per signa (ad quæ duo media tenentur tempore præcepti) omnia peccata explicare valeant. Hierog o mnes, ubi unum, vel alterum, vel prout potuerint, plura peccata expresserint, secundum DD. communiter absolvī possunt ac debent, cùm pro ratione statūs sui sufficientem confessionem fecerint, hoc est formaliter integrām, quæ tunc habetur, cùm poenitens confitetur omnia peccata, quæ hīc & nunc obligatus est confiteri, esto omittat aliqua ex justa causa, quemadmodum in his causis & personis contingit. Imo Antonius Fernandez, Alphonsus de Leone & Leander absolute affirmant, posse Confessarium tempore præcepti, absolv-

absolvere mutum , qui præbet signa doloris , etiamsi nullum ex ejus signis possit intelligere peccatum , modò alius non adsit Confessarius , qui melius intelligat ; quod improbare non possum ob rationem indicatam .

Oppones contra superiorem parenthesin : nemo tenetur per scriptum confiteri , si aliter confiteri non possit : quia cum Soto , Richardo & aliis credendum est , ad hunc modum confitendi neminem aliquo præcepto obstricatum esse .

R^j. Negando ant. quia præceptum confessionis stringit , quoties sine notabili incommodo fieri potest , sicut fieri potest confessio in scripto . Neque enim est considerabile , aut morale censendum illud periculum , quod Adversarii singunt , quod scilicet scriptura sit exposita periculo ne retineatur à Confessario , vel perdatur , & publicetur peccatum : quia si pœnitens de tali periculo timeat , poterit vel coram Sacerdote peccata scribere , vel antea scriptam chartam in manibus afferre , ne decidat , & lectam à Confessario statim combure re , vel in minutissimas partes discindere .

Urgebis . Concilium Florentinum in decreto Unionis definit , materiam hujus Sacramenti esse oris confessionem : at confessio , quâ Sacramenti istius materia , est de ejusdem substantia , ergo debet fieri voce , nunquam autem scripto .

R. Concilium Florent. pro materia proxima & constitutiva Sacramenti Pœnitentiae assignasse oris confessionem specificative, non reduplicative sumptam, ita ut confessio secundum se præcisè spectata sit quid substantiale, circumstantia autem oris, sive vocis sit quid accidentale. Alii dicunt, quod Concilium Florentin. affirmans, oris confessionem esse materiam hujus Sacramenti, usum fuerit verbo oris ab eo, quod frequentius accidit, non quia necessariò ad valorem Sacramenti oris confessio requiratur: & hinc Concilium Tridentinum consultò omississe illud verbum oris, & solùm dixisse, confessionem esse materiam: quæ Responsio etiam bona est.

Disputant hinc aliqui, quid faciendum confessario in casu, in quo æger ex intentione confitendi curavit vocari Sacerdotem, in ipsius autem præsentia nullum amplius verbum loqui, imò nec signum alicujus interni doloris dare potest? sed quò pleniùs hanc non minus utilem, quam difficultem quæstionem resolvere queam, disputare mihi placet de illa articulo sequenti. Interim sit

Conclusio. 5. Jus est dimidiare confessionem propter impotentiam quasi physicam ex parte Confessarii, quando videlicet ob imminens periculum mortis, aut morbi nequit nunc, aut paulò post audire totam confessionem. Ita Sancti Gallenses Tannerus & Gobat,

Ratio

Ratio est : quia auditio unius partis peccatorum tribuit pœnitenti jus, ut percipiat absolutionem , non secus ; ac si illa impotentia proveniret ex parte ipsius pœnitentis , ergo audita una parte absolvet meritò Confessarius ægrotum , si diutius audiens morbo corripere tur , ut ultra pergere non posset: Et hoc contra Valentiam & Sanct - Gallens. verùm etiam est tunc , quando imperfecta confessio ne facta , pœnitens sine ullo periculo aut danno posset confiteri alteri Sacerdoti ; nam difficile admodum est , bis confiteri idem peccatum mortale. Hinc audiendi non sunt Navarr. & Rodriquez docentes , tempore pestis non posse pœnitentes confessionem dimidiare , et si commode nequeant fateri omnia peccata. Quin imò asserimus cum Diana , in tali casu non solum posse , verùm etiam teneri Sacerdotem ex misericordia , ut aliis subvenire possit , confessionem non perficere ; quod si ipse non vellet , quia forsitan scrupulo detineretur , aut alia de causa , pœnitens , qui videret periculum Confessarii , teneretur non absolvere confessionem , quia teneretur aliis succurrere non detinendo Sacerdotem. Ali ter autem philosophandum foret , si plures non essent , qui beneficio absolutionis indigerent , & Confessarius pestem vel non time ret , vel amore infecti contemneret , tunc enim pœnitens teneretur confessionem absolvere ,

cùm non sit ratio illud excusans , ut rectè iterum concludunt Sanct - Gallenses.

Rursus impotentia *quasi physica* censetur adesse , quando Confessor non potest intelligere omnia peccata blæsi , naso truncatix licetè enim , Gobat teste , tales nihilominus absolvantur , cum onere se sistendi pro cæteris peccatis alteri Sacerdoti , si quis melius ea percepturus sit. Et verò tales teneri tempore præcepti facere confessiones , tametsi imperfectas , docet expressè Navarrus. Insuper permittit Tannerus contra Henriquez , ut tales etiam extra tempus præcepti confiteantur ex sola devotione illa peccata , quæ possunt : quod Gobat admittit in magnis Jubilæis. Ego tales , sicut mutos , qui solùm per nutus possunt confiteri , judico posse licetè confiteri , & absolvi aliquoties extra tempus præcepti. Ratio est , quia si validè possunt (uti de mutis fatentur omnes) non est æquum , ut cogantur sine culpa propria carere diu tam magno Sacramenti remedio. Sic etiam loquendo de poenitente ignotæ linguae , tenet Posserinus , Lopez , Leander.

ARTICULUS. III.

De absolutione moribundo sensibus destituto conferenda ?

Contingit subinde , sicut supra insinuatum . ut æger ex intentione confitendi curet ad vocari

vocari Sacerdotem, in ipsius autem adventu, seu præsentia nullum amplius verbum loqui, nec ullum signum alicujus peccati in specie à se commissi edere possit, sed tantum signum internæ contritionis: imò sæpe tales nec signum doloris alicujus ostendere valent, quia destituti fuerunt omnibus sensibus, dum Sacerdos in via erat constitutus.

Quæritur ergo, quid adventanti Sacerdoti faciendum? Jacobus de Graffiiſ doctissimus Congregat. Cassin. Monachus & Pœnitentiarius Neapolitanus, tali, inquit, casu attentus sit Sacerdos, ut se motis arbitris, solus manens cum infirmo satagat, ut infirmus interrogatus de illis, quæ verisimile est commisſe, vel gestu vel nutu aliquod exprimat peccatum, ut ei sacerdotalem absolutionem exhibeat: alioquin id certè neutiquam licet. Verum sit.

Conclusio 6. Validè & licitè absolvitur moribundus, qui non potest quidem ullum in specie peccatum declarare, attamen ab ipsomet Sacerdote præsente petit absolutionem. Ita Cardinalis de Lugo, Becanus, Leander, &c alii contra Graffium, Navarrum, Ledesmam. & alios.

Probatur 1. Quia qui v. g. dicit, *se velle confiteri, se dolere de peccatis*, per hæc verba facit confessionem peccati, saltem in genere, & eo modo, quo potest, ergo in præsenti ta-

Iem confessionem sufficere, plus quam probabile est.

Probatur 2. Communis jam & vera sententia affirmat, posse absolvī pœnitentem, quando solūm in confessione dixit peccatum in communi, nullo explicato in particulari, & postea sensibus destitutus est, quia cùm integritas confessionis quoad speciem, numerum & circumstantias non sit ita necessaria, quin justis de causis saepe possit omitti, à Fortiori ob impotentiam, propter quam pœnitens non potest, nisi in communi explicare peccatum, sufficiet ea confessio: atqui noster casus non differt ab isto; nam dum pœnitens querit à Confessario absolutionem illis v. g. verbis, se dolere de peccatis, & velle confiteri, confiteatur eo ipso peccatum in communi in ordine ad absolutionem, ergo.

Neque dicas: pœnitens, qui nullam speciem suorum peccatorum notitiam præbet, solum declarat, se peccatorem esse, quod omnibus hominibus est commune (excepta sola Beatissima Virgine Maria) & ante talem confessionem notum, sed ad absolutionem consideratur aliqua notitia specialis. Ergo.

R. etiam in nostro casu pœnitentem præbere aliquam peccatorum suorum specialem notitiam: nam, ut optimè adyertunt Salmanticenses, licet sacerdos antea norit, pœnitentem peccatorem esse, non tamen sciebat, il-

Iud id reminiscendo recognoscere , & clavibus subjicere . Quòd verò solum in genere ea peccatorum confessio fiat , in causa non est , quòd minus tunc legitimè fiat ; nunquid enim legitima est confessio peccati mortalis in genere , si quis immemor speciei dicat , scio me peccasse mortaliter , quamvis non recorder , qua peccati specie ? adeo ut teste Suarez , non obligetur illi peccato generico ullum addere specificum , etiam veniale ? Nempe confessio specifica & numerica peccatorum non ex necessitate Sacramenti , sed ex necessitate præcepti Divini habetur , quod stante impotentia non obligat . Unde sequitur .

Conclusio 7. Sufficit , ut moribundus ille validè ac licite absolvatur , si coram confessario edidit signa contritionis & doloris in ordine ad absolutionem . Sic Dicastillo , Joann. Medinas Corduba , Sterinx , & alii citati propiore conclusione .

Ratio est : quia etiam tali Sacerdoti manifestat se peccasse , & velle in foro Sacramentali sententiam obtinere , ergo jam ponitur confessio , eo modo , quo poni potest , ergo infirmo remedium absolutionis applicari debet , sicut decernunt statuta Ecclesiæ Lemovicensis in Synodo , cui aderant Abbates undecim , Decani tres , Præpositi septem , Priors decem , Archipresbyteri decem &c. & refert ac sequitur Joannes Morinus de disciplina in

*Administration. Sacr. Pœnitent. mihi fol. 742
Idem habetur in Rituali Ratisbonensi fol. 72.
vers. quod si.*

Sed negotium facessit Suarez : ait enim quantumvis infirmus se ostendat devotum & contritum , si nullam fecit mentionem confessionis , & in eo statu sensum amittat , non potest sacramentaliter absolvi : quia illa contritio non est relata ad claves , neque ibi intervenit aliqua confessio , etiam generalis. Sic clarissimus Doctor. Ita nimis plerumque homines in pœnas suas ingeniosiores sunt , quam in sua commoda. Nobis ipsis crucem figimus , nec sinimus , ut ait Lyricus , *iracunda Jovem ponere fulmina.* Quare

R^e. Cùm moribundus , præviso mortis articulo optimum animæ suæ remedium desiderare soleat , præsumendum esse , eum signa contritionis & doloris edere in ordine ad absolutionem , nisi in contrarium quid constet ; confessionem autem generalem facere , eò quod per illa signa manifestet , se peccasse. Talia autem signa censenda sunt , si infirmus pectus suum tundat , manus oculosve in cælum tollat , aut aliquam imaginem intentè respiciat. Quod si trepidet Confessarius , absolvat saltem additâ conditione , si possum. Imò rectè absolves moriturientem licet praedicta signa dederit , te absente , sed aliis praesentibus , qui retulerunt tibi , vel juxta mori-

bun-

bundum existenti, uti docent apud & cum Gobat Sanct.-Gallenses, orco addicentes nolentem in praxi sequi nostram opinionem, vel non existenti juxta ægrum, ut tradunt Lugo, Gobat, & alii. Ratio patebit ex Conclusione sequenti.

Conclusio 8. Æger, qui ex intentione confitendi curavit vocari Sacerdotem, in ipsius autem præsentia nullum amplius verbum loqui, nec ullum signum alicujus doloris dare valet, destitutus omnibus sensibus, dum Sacerdos in via moratur, non solùm validè licetque absolvī potest absque ulla conditione & scrupulo, verùm etiam absolvī debet: & Sacerdos qui id facere negligit, reus videtur animarum. Ita contra Alvar. Petrum Fay Coquetum & alios S. Thomas Opusc. 65. §. de Extrema Unct. S. Antoninus, Angelus, Vasq. Conink, Sanct.-Gall. citati iteratò à Gobat, plurésque alii.

Probatur 1. Ex Concilio Arausicaro l.c. 12. & habetur Can. qui recedunt. 26. q. 6. ubi dicitur; subito obmutescens, prout statutum est, pænitentiam accipere potest, si voluntatis præterite testimonium aliorum verbis habeat, aut præsentis in suo nutu. Idem traditur in Concilio Carthag. 3. & refertur in can. Ægrotantes. de consecrat. dist. 4.

Neque respondere aliquis potest, ut rectè obseruat Laym. his locis non agi de absol-

tione sacramentali, sed Ecclesiastica publicorum pœnitentium reconciliatione; Nam per pœnitentiam intelligi Sacramentum Pœnitentiae seu absolutionis sacramentalis, nemo dubitabit, qui antiquorum PP. & Conciliorum Canones inspexerit. Quod ipsum Concilium Carthaginense 4. Cap. 76. clare indicat, cum ait: *quoniam in infirmitate pœnitentiam petit &c.* Pœnitentiam accipiat: neque enim dicere licet mox morituros petivisse publicam, sive sollemnem pœnitentiam, quæ fer. IV. Cinerum in Ecclesia inchoari solita erat, sicuti constat ex Cap. in Capite dist. 50.

Prob. 2. Quia idem ex SS. PP. docet S. Leo Epist. 91. ad Theodorum Episcopum Foro Iulensem. & stabilitur in Rituali Romano Pauli V. in ritibus Sacramenti Pœnitentie, ubi expressè non solum permittitur, sed præcipitur omnibus Parochis absolutio in dicto casu.

Prob. 3. ratione: Confessioni Sacramentali debet impendi absolutio sacramentalis, sed talis facit veram confessionem sacramentalem, ergo. Min. probatur: talis in genere saltem se accusat de peccato, quod ad salvandam Sacramenti essentiam sufficit, cum extrema necessitas eum plus facere non permittat, ergo facit confessionem formaliter integrum, ac proin veram confessionem sacramentalem, & consequenter debet absolvī, ex charitate quidem à quoçunque Sacerdote in absentia proprii,

Proprii, ex justitia autem à proprio Sacerdote, seu Parocho, si præsens sit. Quod etiam testibus Theologis S. Galli verum est respectu eorum, qui contrariam sententiam tenent, quia, cum hanc sententiam possint in praxi tutò sequi, idque saluti moribundi sit valde expeditus, & fortè etiam necessarium, si nimis sit attritus, sequi tenentur vel ex charitate, vel ex justitia simul, prout immediate ante conclusimus.

Neque cunctetur, aut tergiversetur Sacerdos, quando ii, qui testificantur de petitione confessionis, hanc non audierunt ab ipso infirmo, sed ab aliis, qui ab infirmo immediate perceperunt hoc ultimum illius desiderium: quia ad absolvendum in periculo mortis sufficiens est mediata notitia, quæ ex testibus mediatis haberi potest, sicut optimè ex Lugone notat Leander: re enim vera, si deinde Sacerdos præsens præsentem moribundum absolvat, confidentem sibi præsenti absolvit, quamdiu namque ille vivit, tamdiu continuat moraliter confessionem genericam suorum peccatorum, prout potest. Sufficit quoque unus idoneus testis, quia ubi non agitur de præjudicio alterius, creditur unius testi, neque est in his necessaria probatio juridica.

Objicitur 1. Juxta Concilium Trident. Sess. 14. c. 5. Ea confessio est pars essentialis Sacramenti Pœnitentiarum, per quam status pœnitentis cognosci

cognosci possit : sed nequit cognosci per signa tantum universalia , quale est petitio , seu desiderium confitendi , ergo infirmus , qui vocari curavit Sacerdotem , in ipsius autem praesentia nec verbô , nec alio signo potuit in specie aliquod peccatum exprimere , nequit absolvî . Confirmatur : absolutio est actus judicialis , ergo poni non potest , nisi peccata in particulari , & sigillatim cognoscantur .

Rz. Disting. major. Ea confessio est pars Sacramenti , per quam adaequatus status poenitentis cognoscitur , nego , saltem inadaequatus , concedo , & sic distincta min. nego consequentiam . Ratio est , quia ad confessionem requisita integritas plus non postulat , quam ut explicentur ea peccata , quæ explicari possunt , si ergo superveniat impotentia aperiendo singula peccata , poenitens absolvî poterit , cognitis utcunque vel in genere vel in specie illius peccatis , vel etiam si confitendi desiderium per se , aut per alios ostenderit . Ut habet in terminis Rituale Romanum . Ad Confirmationem nego conseq. quippe ex generalibus poenitentiarum signis Sacerdos bene ac prudenter judicare potest , poenitentem beneficio absolutionis indigere , & hic & nunc absolendum esse .

Objic. 2. Absolutio sacramentalis debet super aliqua saltem peccata directe cadere , quod in hoc casu ægri non fit , ergo .

R^e. Moribundum directe absolvì à peccatis
in genere cognitis, sicut ea, quantum potuit,
in genere manifestavit.

Ob. 3. ac præcipue : Clemens VIII. in Bulla
data Anno 1602. die 20. Junii damnavit hanc
Propositionem : *licet per litteras aut internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere;* ac deinde viva voce explicuit, etiam
hunc casum illo suo decreto contineri, Nugno
teste.

R^e. Contra Nugnum, Clementem VIII. hu-
ius decreti occasione de nostro casu interroga-
tum respondisse, cum suō decreto nullo mo-
do comprehendī. Testantur hoc Card. Bel-
lar. & Petrus Lombardus Archi-Episcopus Ar-
macanus, primas Hiberniæ; & addit Suar.
constare sibi tum ex ore ejusdem Pontificis &
Pauli V., tum ex sententia multorum Card.
non fuisse Pontificis mentem, ut negetur ab-
solutio tali ægro. Quæ testimonia contra
vacillantem Nugni fidem subsistere, liquet ex
allegato Rituali Romano Pauli V., cui Ratis-
bonense Authoritate & jussu Reverendissimi &
Illustrissimi Capituli Cathedralis editum *loco
citato consonat.*

Replicat Nugnus: Clemens VIII. damnavit
Confessionem factam absente Sacerdote; at
in casu nostræ controversiæ confessio fit ab-
sente

sente Sacerdote, ponimus enim in terminis terminantibus, quod æger in præsentia Sacerdotis nullum contritionis signum dare possit ergo temerarium est dicere, quod nihilominus absolvere possit; debeatque.

R^z. neg. min. quia æger ille confitetur præsens præsenti Sacerdoti per testes, quasi per interpres, si hi in præsentia Confessoris & pœnitentis perhibeant testimonium pœnitentiae, dispositionis ac petitionis confitendi factæ; vel certè quatenus moraliter censetur adhuc durare in confessione antea facta, quando scil. ex intentione confitendi Sacerdotem vocari curavit, cum jam pleniorum homologationem facere non possit. Sed & Confessor in præsentia examinat conscientiam ægroti, modo; quo potest, & suis oculis videt eum vivere, adeoque ex ea parte esse capacem Sacramentū, & non posse nunc se melius disponere ad confitendum, quod necessarium est; ac sufficit, ut Confessor judicium ferat de sufficientia illius Confessionis.

Sed jam gravissima excitatur difficultas, at possit absolvī moribundus, sensibus destitutus, quando nullus est testis, qui possit dicere eum ante confessionem petiisse, aut signum pœnitentiae dedisse? Negant tunc posse impendi absolutionem Suar. & alii DD. communiter, ac teste Gobat, latissime, doctissime Rasslerus Abbas.

Moventur 1. Quia Concilia & Pontifices semper addunt conditionem testimonii aliorum, ut absolvatur infirmus, qui non amplius signum aliquod exhibere potest: sed frustra requireretur ea conditio, si sine illa possent absolviri moribundi qualescumque, ergo. *Confirmantur:* Quia cum in Conc. & Pontificum textibus requiratur in poenitente sensibile signum, per se, vel per alios significatum Confessario; non expedit, in re tantum momenti sub piezatis specie sapere plus, quam omnes nostri SS. PP. sapuerunt, sed observare terminos, quos apposuerunt nobis.

Moventur 2. Hac gravi ratione: deficiente parte essentiali Sacramenti, nequit illud, ne quidem sub conditione conferri, nulla enim pars potest existere sine sua parte essentiali nec essentiam ullus necessitatis casus immutare potest: atqui in hujusmodi casu deficit pars aliqua essentialis Sacramenti poenitentiae, nempe confessio & dolor sensibilis, ergo nequit illud in hujusmodi casu nequidem sub conditione conferri.

Concedo huic opinioni magnam speculativam probabilitatem: quoniam vero ultima rerum linea mors est, & in illo extremo temporali ac perpetuae mortis periculo, non solum moralem, sed etiam speculativum Theologum maximè sollicitum esse oportet de probabilitate practica; videtur contemptu unius & alterius

32 Art. 3. De absolutione moribundo
terius severiore calamo & fœda fugillatione
statuenda.

Conclus. 9. Confessarius potest moribundum absolvere, et si nec confessionem petierit nec signa doloris in periculo mortis dederit dummodo prius Christiano more vixerit, Sacramenta frequentaverit, bonus & fidelis fuerit estimatus. Ita notissimus toto orbe Joan Caramuel, Bonagratia, Petrus Marchantius Salmant. Vasq. Leand. Joan. Moring, Tamb & post alios plures Colend. meus in *Theologia speculativa* Salisburgi Professor, P. Desiderius Schapperger in *Amara dulci, & fidei orientis Christiani Patrocinio*, qui nominatim allegant pro sua parte alios 21. Authores. Pro hac sententia stat etiam *Sacerdotale Romanum* cum dicitur, ex doctrina S. Antonini absolv posse moribundum assuetum frequentare confessionem & communionem, quamvis repentinus casu oppressus Sacraenta non petierit. Eandem sententiam tenuit Alex: Ludovisius Archi-Episcopus Bononiensis, & postea summus Pontifex Greg. XV. dictus, in *Memoriali Confessariorum*, ubi præcipit ita in praxi observari. Denique testatur Gabr. Loth: Can: Reg: Suarium pietate & doctrina eximum Romæ hanc opinionem secutum fuisse. Quare

Prob. Conclus. 1. Authoritate Clementis VIII. viri prudentissimi, qui, ut lego apud Caramuel Leand. Moricum è fabrica S. Petri ca-

su ruentem vidisset , mox eum sub conditione absolvit , dicens , si capax es , absolvō te à peccatis tuis . Negat quidem hoc factum Pontificis Card. de Lugo : ego verò pluribus Authoribus idem referentibus fidem adhibeo , & addo ipsum Lugonem testari , quòd nostra sententia in castris Belgicis (in quibus hodie Sereniss: Electorem nostrum MAXIMILIANUM EMANUELEM &c. &c. Dominus Exercituum salvum servet ac incolumē) practicetur à multis Confessariis , qui milites moribundos , etsi nulla signa dare possint , absolvunt &c.

At fortè audacter dices cum Bauny , in eo facto Pontificem errare potuisse , cùm id non egerit tanquam Pontifex , sed ut Doctor aliquis privatus . Rz. Primum in unoquoque genere esse exemplar cæterorum arg. cap. ex litteris de constit. ac proinde magnam probabilitatem tribuere factum summi Pontificis nostræ sententiæ , quidquid neget Bauny .

Prob. 2. Absolutio sub conditione potest dari , quando dubitatur , an pœnitens habeat usum rationis ; sic puer , si omnibūs consideratis , de ejus capacitate dubium maneat , absolvī potest sub conditione , saltem animo retenta , uti moner Zambranus , imò in articulo mortis absolvī debet , inquit Laym. , nam in tali præsertim casu necessitatis , in dubio inclinandum est in favorem animæ . Rursus potest sub conditione absolvī pœnitens , si dubiterur ,

an ea, quæ confitetur, sint peccata? & quando dubitatur, num moribundus ex angustia mortis, vel ex compunctione cordis signa doloris ediderit, conceditur à Diana, Digast. & aliis debere impendi conditionatam absolutionem; ergo etiam in nostro casu, quo nullus audire, vel nunciare potuerit, prudenter tamen dubitare Confessor, moribundum aliquod signum doloris edidisse, utpote bonum Christianum & salutis suæ studiosum (de tali enim cur quis dubitet?) impertienda erit ei sub conditione ~~absolutio~~. Conf. Quando non potest haberi certa materia Sacramenti ad salutem necessarii, licitum est in extremis necessitate adhibere materiam dubiam, v.g. in extrema necessitate deficiente certa aqua potest ac debet conferri Baptismus in lixivio juscule, cerevisia valde tenui & secundum Granad. in aqua rosacea, et si postea Baptismus sub conditione sit repetendus; ergo similiter in extrema necessitate licebit, ac debet sub conditione ~~absolutio~~ impendi, quæ cadat super dubiam confessionem, ceu proximam materiam Sacramenti pœnitentiae necessarii ad salutem.

Prob. 3. ad ministranda moribundo Sacra-
menta Eucharistiæ & Extremæ Unctionis, suf-
ficit, quod per Christianam vitam, quam duce-
bat, ostenderit implicitè voluntatem recipi-
endi ea Sacraenta in articulo mortis:

nam

nam qui vivit more catholico , etiam voluntatem habet moriendi more catholico, est autem mos & ritus Ecclesiæ consuetus , ut dentur illa Sacra menta infirmis , ergo ea ipsa voluntate implicitè & interpretativè censemur velle eadem Sacra menta suo tempore recipere. Jam sic: atqui per similem vitam non minus ostendit voluntatem recipiendi sacramentalem absolutionem in articulo mortis maximè omnibus Christianis exoptandam , ergo illa voluntas sufficit ad dandam moribundo absolutionem , cum hæc possit dari ei , de quo constat voluisse confiteri.

Prob. 4. In necessariis ad salutem tutior pars est amplectenda , & certiori periculo occurrentum , sed hic versatur moribundus in summo periculo , & tutior pars est , amplecti nostram sententiam gravium DD. autoritate & rationibus munitam ac firmatam , ita ut Vasq. & alii , nolentem in tali casu absolvere *necatorem animarum* vocare non vercantur. Neque de irreverentia Sacramento inferenda , si forte moribundus reapse nullum signum doloris dederit , timendum est ; quia omne periculum irreverentiae ac sacrilegii cessat , apposita absolutioni conditione , *si capax es*. Hæc proinde sententia , quam ipsemet Diana & Bauny probabilitate non carere meritò fatentur , in praxi observari debet , quod ego inquit Leander Romæ in occurrente casu semel &

iterum feci, nec pœnituit. Quin imò testantur & alii, id ipsum passim practicari in diversis Provinciis, scientibus nec reclamantibus quorum interest: ejusmodi praxin, si mala sit reprobare, ac prohibere.

Hanc opinionem extendit P. Bonagr. Hasben Capuc. ad casum, quo moribundus laborat infamiâ malæ vitæ, vultque singulariter, eam doctrinam à suæ Seraphicæ Religionis Confessariis redigi in praxin. *Insuper* si quis forte actualiter peccando tam subito destituutus sensibus, ut non possit *humanitùs loquendo* atteri, regulariter ipsi sine absolutione dimittendus non videtur, cum rarissime contingat, ut morti vicinus non velit suæ saluti consilere per attritionem. Id, quod & Tambur. docet citatus ab eodem Hasbeni.

Verum, quoniam prudenter præsumi nequit illū esse reipsa attritum, qui *humanitùs loquendo* non potest atteri, nullatenus subscribo quoad ultimum ambobus Doctoribus. Nec existimo, ullum Confessarium impertiturum fore absolutionem iis, qui sine ipsis prorsus signis doloris subito privarentur sensibus, vulnerati lethaliter in turpi congressu, vel in duello solemni, vel in formaliblasphemia. Quod si tamen post peccatum commissum aliquamdiu usi fuissent ratione, præfumerem, esse saltem attritos, quia constat tales communiter signa doloris edere, & præsumptio habetur

pro

pro veritate, quamdiu ea non eliditur, ac demonstratur, hic & nunc fallere. DD. in cap. *semel malus. de Reg. Juris. in 6.*

Quoad primam p. Hasbensis doctrinam non nihil haereo: quia tam scelerata voluntas, quam hactenus demonstravit is, qui infamiam malae vitæ laborabat, meritò in eo permanere præsumitur, donec mutata aliquo argumēto probetur, ut patet ex Cap. *Majores. §. dormientes. extra de baptismo.* & ejus effectu ibi: in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare. Ideo tali repentinò morbo cadentī absolutionem non concedo, nisi eam vel per se, vel per alios petat, & petitione sua se pœnitere probet.

Ad 1. Fundamentum contrariæ sententiæ Ex. non omnino deficere testes in nostro casu, quia eo ipso, quod alii testificantur, illum prius Christiano more vixisse, Sacraenta frequentasse, bonum & fidelem aestimatum fuisse: testificantur etiam prudenter dubiam illius confessionem externam, & ideo vel maximè, quod hujusmodi fideles in eo periculo, si vel per modicum tempus sui compotes existunt actu sensibili & externo, vel confessionem poscant, vel signa pœnitentiæ edant, testibus PP. Salmanticens.

Ad Confirmationem dico, sicut stante dubio de signo sufficienti ad conferendam absolutionem, possum ac debeo in extrema ne-

cessitate impendere absolutionem sub conditione, & tamen propterea non censeret sub pietatis specie velle plus sapere, quam sapuerunt SS. Patres, sed eorum mentem pie ac reverenter explicare; ita, quando in nostro casu testimonium bonae vitae, & famae ac frequentiae Sacramentorum attendens assero, sufficere illud pro materia dubia Sacramenti in extrema illa necessitate sub conditione conferendi, non sum censendus, velle sapere ultra mensuram SS. Patrum, sed pie ac reverenter eorum placita explicare ac interpretari.

Ad alterum fundamentum neg. deficere partem essentialem Sacramenti; adeo enim dolor sensibilis rationabiliter praesumptus per fidem ac vitam christianam, petitio item confessionis, adeoque etiam qualis qualis confessio, similiter ex fide & vita pie acta rationabiliter praesumpta & apta, in quam forma absolutionis sub conditione cadat in tanta necessitate; nam, ut Joan. Caram. more suo subtiliter & ingenuose, singulæ vitae Christianæ actiones sunt totidem linguæ, quibus homo extrinsecè protestatur se velle, antequam moriatur, confiteri. Et ut Joan. Morinus: reconciliationem petit à Sacerdote non verbis, sed r. apse, qui bonis operibus, vitaque fideliter & catholicè transacta illi demonstratis, ea m aliter morbo afflicitus petere non potest.

Perga

Pergamus enumerare reliquas causas liberantes ab integritate materiali confessionis.

ARTICULUS IV.

An excusat impotentia moralis?

Conclus. i. Excusat à confessione materialiter *integra impotentia moralis ex parte pœnitentis.* Ita Navar. Reding, Sanct-Gall. & alii. Censetur autem talis impotentia adesse, quoties absque gravi damno proprio, vel alieno, nequit quis integrum omnium peccatorum facere confessionem: præceptum enim de facienda *integra confessione non obligat cum tanto incommodo, cùm lex, seu jugum Christi suave sit, & onus ejus leve.*

Hinc i. Si ex confessione alicujus peccati infamia gravis sequatur, non teneris illud in particulari manifestare, ut si prudenter & ex gravi fundamento timeas, ne Sacerdos peccatum tuum sacrilegè revelet. Quod tamen intellige de revelatione, ad quam ipse non tenet: potest enim talis esse casus, ut debeas Confessario licentiam dare manifestandi illud ipsum peccatum extra confessionem, & si eam licentiam dare nolueris, Confessarius non possit absolvere te. Quô casu non excusaris ab eo peccato confitendo: quia hoc damnum non est aliud, quam quod necessariò consequitur ex obligatione ipsius pœnitentis. Lugo, Con: Perez. Similiter sufficientem cau-

sam tacendi peccatum non affert privata tantum Sacerdotis mala de te existimatio, quod v. g. Confessarius te antea habitum pro valde pio & casto, intellecto postea peccato tuo gravi in mente sua sit habiturus pro gravi peccatore, aut impuro; quia haec *immediate*, & quasi per se ac *intrinsecè* sequuntur ex confessione, & tamen his non obstantibus à Christo præcepta est. Præterea, ut propter gravem infamiam, quam ex sacrilega revelatione Confessarii times, aut ob vitandum simile aliud malum extrinsecum liceat dimidiare confessionem, debet adesse aliqua necessitas, hic & nunc tali Confessario confitendi: si enim sine gravi incommodo potes querere alium Confessarium, aut paulò post alteri integrè confiteri, teneris abstinere, non tamen valde diu, præsertim consuetudinem tuam, vel si Jubilæum promerendum sit, & maximè, si præceptum confessionis, aut communionis (quam sine publica infamia, vel scandalo omittere non potes) aut necessitas celebrandi Missam urgeret: quippe cum sit grave incommodum, diu Sacramentorum fructu carere, confessionem autem Christus in spirituale bonum hominis instituerit, non censetur ejus integritas cum tanto incommodo spirituali obligare. Ita idem Perez, Reding & Sanct-Gall.

Dices: ergo habens tantummodo unum mortale, de quo periculum seu grave damnum timeret,

timet, ne quidem in genere obligatus est illud confiteri, sed potest hic & nunc totaliter silentie præmere: sed hoc non videtur admittendum, quia talis peccator ita se habet, sicut qui recordatur, se fecisse aliquod peccatum mortale sed meminisse nequit qua peccati specie; atqui iste tenetur dicere, se peccasse mortali-
ter, non tamen recordari, qua peccati specie; ergo etiam alter tenetur peccatum suum fal-
tem in genere confiteri ac dicere, v. g. recordor
cujusdam gravis peccati; sed non occurrit mihi pro
nunc, quale fuerit, intelligendo scilicet de no-
titia, quæ deservire possit ad confitendum illud
hic & nunc absque probabili periculo, prout
Lugo, Candidus & Leander sollicitè restrin-
gunt.

Ry. Hos Authores probabiliter ita docere,
sed æquè probabiliter concedo illatum. Ad
probationem in contrarium nego paritatem,
quia, qui novit se mortaliter peccasse, sed non
amplius recordatur speciei peccati, non potest
ullam excusationis causam afferre Confessario,
etur neque in genere illud peccatum confiteri
teneatur? & fortè haud amplius recordatur us
eset speciei illius: at verò, qui de dicto peri-
culo, seu damno timet, hanc habet justam cau-
sam reticendi suum peccatum jam totaliter,
quod id postea teneatur suo tempore confiteri
in specie completa, sicut jam sciens prudens
confiteri teneretur, nisi *impotentia moralis* ex-

cusaret: quæ ampliatio mihi magis probatur, quæm apposita restrictio: quippe cùm nullum in Evangelica lege sit tam grave præceptum, quæm confessionis, teste Ludovico Beja, tantò magis pœnitentium conscientiis consulitur, quantò illud leviùs redditur.

2. Potes reticere peccatum, ex cujus confessione prudenter times tibi oriturum grave damnum corporis: v.g. ne confessarius notitia confessionis utatur, impostorum graviter te oderit, aut malè tractet, præsertim, quando ab eo in aliquibus rebus pendes, ut si ab eo sustenteris, sive inservias, aut cohabites. Perez, Reding, Sanct-Gall. Ratio est, quia alioquin præceptum confessionis esset intollerabile humanæ fragilitati.

3. Licitè facis confessionem formaliter tantum integrum, ob periculum animæ, v.g. quando ob infirmitatem tuam metuis, ne si diutiùs hæreas in examine circa peccata, ad prava desideria exciteris: tunc enim præstat, ea leviter examinare, quæm delectando pecare. Quam ob causam monent DD. communiter, Confessarios quoque in similibus peccatis, eorumque circumstantiis examinandis valde cautos se gerere debere. Præstat, inquit, Conink, Sacerdotem minus perfectè peccatum pœnitentis intelligere, quam vel illi, vel sibi aliquod periculum scandali creare.

4. Si foemina confitendo peccata carnis timeat

timeat periculum solicitationis ad similia , vel certè importunas preccs , aut instantiam Confessarii , quod non leve est incommodum , potest illa peccata tacere . Si verò nihil horum timeat , non est , quòd curet de malitia Confessarii . Debet tamen observare legem communem charitatis præcipientis , ut , si possit commodè vitari dānum proximi sine damno nostro , devitetur . Quare , sicut ad petendum Sacramentum ab illo , qui est in peccato mortali , requiritur aliqua specialis utilitas potentis , sic debet in præsenti intervenire specialis causa excusans ad confitendum , huic & non alteri . Ita Lugo , Reding .

Adverte autem , & benè nota cum Raßlero , ut aliquis excusetur ab integritate materiali confessionis , non sufficere quascunque suspicione leves , sed requiri prudens & rationabile judicium , hæc vel similia mala & damna ex confessione sui peccati , sibi vel Confessario , vel alteri obventura esse . Atque ideò gravissimè peccaret , qui levi suspicione actus , ne Confessarius sigillum frangeret , vel porrò ad peccatum solicitaret , vel porrò ipsem in idem peccatum laberetur , peccatum mortale in Confessione omitteret . Prudens autem & rationabilis timore esset , si pœnitens sciret , Confessarium sigillum aliquando fregisse , aut quenquam ob peccata in confessione audita male tradidisse , ad flagitium solicitasse , aut

tam proclivem esse in ea vitia , ut obvias quásque sibi familiares facile ad turpia soliciter. Sine tali autem fundamento male de Confessario pœnitens non suspicetur , quia Sacerdotes Dei sunt ex vocatione sua piscatores hominum : officium autem piscatoris est non ultimum scientia notandi , ut se possit inter mundanos & malos homines , itemque inter mulieres conversari , & tamen non submergi , sed semper se immunem ab iis fôrdibus & periculis conservare &c.

5. Excusantur à materiali integritate scrupulosi , qui perpetuò anguntur de oblitis , quia , esto aliqua confessi non fuerint , quia tamen ex nimio timore turbatur ratio , ut non possit rem rectè examinare , non tenentur tamen cum tanto damno , & periculo anxietatis perpetuae procurare integritatem confessoris , ut notant Coninck. Bonac. Laym. Azor. Becanus.

Sed Continuò remorum patior , inquit scrupulosus peccati commissi , & non possum deponere gravem sollicitudinem integrè confitendi.

Ecce charissima anima , ex Cajetano Archi- Thomista , Suar. Recentiorum antesignano , & recentissimis Theologis Sanct - Gall. quorum cursum Theologicum duæ florentissimæ universitates , Salisburgensis sc. & Dilingana approbarunt , multisque aliis probatissimis DD.

DD. Ecce inquam, contra inanem remorsum tuum, & nimiam solicitudinem recte confundi media efficacissima, tutissima.

Remedia contra inanem remorsum peccati commissi.

1. Scrupulosus non credat, se mortaliter peccasse, nisi certò & evidenter sciat.
2. Scrupulos contemnat, contra illos agat, & non magis timeat, quām magnanimus Hercules sibilum anseris.
3. Non judicio proprio nitatur, sed occurrente in contrarium quacunque ratione, simpliciter credat, & obediat Prælato suo, aliis piis ac probis viris, præsertim Confessario, ac Patri spirituali suo.
4. Non committat, ut ad Confessarium, vel alium virum doctum ac pium continuo avolet consilii causā, sed accipiat ab eo principia generalia, à quibus nullo modo recedat.
5. Non semper & statim instituat examen super præsenti scrupulo, sed differat in aliud tempus, examini conscientiæ deputatum. Sin aliqua necessitas urgeat tranquillandæ conscientiæ, fortè propter administrationem aliquius Sacramenti requirentis statum gratiæ, non opus erit examine, sed sufficit conditio-
nata contritio, si fortè Deum offenderit.
6. Acquiescat in probabili ratione, vel Autho-
ritate, & inspiciat vitam prudentum ac bo-
norum hominum DEO hilariter ac quiete
ser-

servientium: imò scrupulosis expedit, de industria sectari laxiores, quamvis minus probabiles sententias, donec conscientia ad debitam moderationem revocetur. 7. Nunquam otietur, quia *otiositas inimica est anima* teste Sanctissimo Legislatore nostro. c. 48. Reg. & implet phantasiam cogitationibus scrupulosis.

Remedia contra nimiam solitudinem rectè confitendi.

1. Nullum peccatum confiteatur, nisi certum & indubitatum, omissis omnibus dubiis, generatim tamen doleat de omnibus suis peccatis.
2. Antiqua peccata non repetat, quamvis non meminerit, se esse confessum. Imò sciat, se non esse obligatum confiteri peccata, nisi, quæ jurare possit esse mortalia, & nunquam se esse confessum.
3. Non instituat confessionem generalem (nisi speciali lege cogatur) abhorreat potius à peccatorum præteritorum memoria, perinde ac dœmonis suggestione: non enim expedit refodere cadaver veterum peccatorum, unde novi vermes scaturiant.
4. Non delegat sibi Confessarium rigidum, & severum, sed benignum & resolutum, attamen satis doctum; si enim scrupulosus Confessarius scrupulosum pœnitentem dirigat, cæcus caco ducatum præstat, & ambo in foveam cadunt. Matth. 15:

Illi autem omnium optimè scrupulos eximere nōrunt , qui ipsi aliquando iis agitati sunt.

Omnium istorum remediorum reddunt optimas & singulares rationes DD. nominatim & tacito nomine allegati. Fundamenta præcipua illa duo sunt , quæ initiō hujus numeri indicavi , nempe quod in scrupuloſo ex nimio timore peccandi turbetur ratio , & cum tanto damno ac periculo anxietatis perpetuæ materialem confessionis integritatem non tenentur procurare. Solūm illud addo , monēoque , ut Confessarius scrupuloso gerat se instar oraculi Delphici , authoritatīve & resolutē respondendo , sine ulla hæſitatione , nec responsionis suæ ullam rationem aut probationem adferat , quia , niſi scrupulosus de conscientiæ suæ arbitro sentiat , quod Doctissimus Alviset noster de ſuo Magistro ſenſit , publicisque litteris commendavit , meus Magister quoad me eſt Author gravis : nec redivivus Salomon ipſius morbo mederi poterit. Ratio eſt , quod hæſitatio in respondendo , & subtilitas in diſcutiendis argumentis & ſolvendis objectionibus scrupulos augeat , ac conscientiam magis intricet , dum fruſtra querit omnia per certitudinem , quæ in moralibus rarissimè haberri potest.

6. Excusatū ab integritate confessionis iſ , qui certum aliquod peccatum nequit confite-

ri , nisi violando sigillum Sacramentale. Ita omnes Neoterici DD. contra nonnullos superiorum sæculorum.

Probatur ; quia majus bonum est servare sigillum confessionis , quâm facere confessionem integrum : magis enim pertinet ad reverentiam & favorem Sacramenti obligatio secreti servandi in iis , quæ ex confessione , vel in ordine ad istam sunt cognita , quâm integritas confessionis , cùm ex illius sacratissima obligationis violatione deterrentur homines à facienda confessione.

Huc etiam referunt aliqui casum , quo quis non potest explicare peccatum suum , nisi manifestet complicem ? verum , ne articulus iste nimium ex crescatur , sit.

ARTICULUS V.

An pœnitens possit , vel etiam debeat manifestare complicem peccati ?

HAbcs v. g. matre defuncta & avia , unicum sororem , Parocho tuo optimè notam , & cum hac incestum commisisti. Quod si ergo confessus fueris , te commisisse incestum (quod est ctimen in nostra Diœcesi Ratisbonensi Sedi Episcopali reservatum in linea ascendentis & descendenti , primo itidem gradu laterali) statim Parochus adverteret sororem tuam tecum peccâsse. Ideo docent Nauvarrus , Arriaga , & ex nostris Sayrus , Grapius

phius, Llamas Cisterciens. aliique, posse te peccatum illud reticere, imò debere, vel certè debere te illud generalius tantum confiteri, dicendo v. g. *commisso te fornicationem*, aut confiteri tantum consensum internum totius speciei, exprimendo, *te concupivisse sororem tuam*; quia hujusmodi confessione socius criminis, infamiam non incurrit. Nos in hac complicum materia sat frequente statuimus sequentes conclusiones.

Conclusio 11. Graviter delinquit pœnitens, si absque legitima causa manifestet in Confessione complicem cum notabili jactura boni nominis: secus; si cum levè.

Patet ex Tract. de Jure & Justit. ubi cum communi traditur, detractionem ex genere suo esse peccatum mortale, per accidens tam non raro esse veniale. Unde si persona, & culpa sit talis conditionis, ut ferè pro nihilo reputetur, quod de tali persona tale peccatum revileetur Confessario, non erit grave peccatum illud revelare. Mortale autem erit, si culpa spectata conditione personæ gravis censeatur. Quare benè attendant Confessarii, ne permittat pœnitentes in confessione explicare directè aut indirectè complicem criminis, aut alia aliorum peccata narrare, quando id ad integratatem confessionis non est necessarium; sic admonet S. Bonaventura, Sanct. Gall. Laym. quamquam S. Thom. Cajet, & Gabriel non improbabili-

ter negent, intervenire gravem culpam, si præter infamationem apud Confessarium nihil aliud sit timendum: talis enim manifestatio videri potest leve in fama detrimentum.

Conclusio 12. Si haberi commode possit alius Confessarius, qui æquè profuturus sit spirituali saluti, & non novit complicem, oportet hunc accedere. Ita omnes contra Fagundez scribentem, non esse præceptum, sed consilium duntaxat, ut pœnitens alium quærat Confessarium, concedentem tamen, quantum commode fieri potest, curandum esse, ne Confessarius veniat in suspicionem personæ complicis, veniendo v. g. noctu, veste, ac voce mutata.

Probatur conclusio. Quia ratio naturalis docet, ne quidem coram uno esse quemquam sine necessitate & causa graviter infamandum, quia magnum & notabile bonum est Fama juxta illud Eccl. 41. Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri magni & pretiosi. Accedit: quod fieri possit, ut quis malit sua crimina multis extensis, aut plebeis hominibus esse nota, quam Prælato v. g. Parocho, aut alicui viro gravissimum quo assidue versatur, vel à quo dependet, etiamsi iste crimen non sit divulgaturus, sicut divulgare non potest Confessarius.

Conclusio 13. Si nihil horum locum habeat, adeoque pœnitens nequeat commode

Francisci Confessarium, cui integrè peccatum suum ita confiteatur, ut complex non adeat magnam nominis jacturam apud Confessarium, potest ac debet integrè confiteri, non obstante complicis infamatione. Ita S. Thom. in 4. dist. 15. q. 3. a. 2. quest. 5. S. Bonaventura & alii plures, cum quibus sentit D. Bernardus Opusc. de formula honestæ vitæ, in fine, ubi ait: *Denuo prorsus sinistrè loquaris, quantumcumq[ue] sit verum, vel manifestum, nisi in confessione, & hoc ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.*

Omissis variis probationibus, quarum inefficaciam ostendunt Arriaga & Dicastillo, sic argumentor 1. cum Raßlero: majus habeo jus ad famam meam tuendam, quam alter habeat, ut ego conservem ejus famam: sed integritas confessionis obligat me ad manifestanda mea peccata, non obstante infamia, quam apud Confessarium incurro, ergo etiam eadem integritas confessionis obligat me ad manifestandum complicem peccati, non obstante infamia, quam ipse apud Confessarium incurret, cum hæc non minūs, quam illa per se ad integrum peccatorum meorum homologisin consequatur.

Argumentor 2. cum Haunold. Complex habet quidem jus ad suam famam, sed non cum tanto meo incommodo, quantum subirem, si non liceret mihi totam speciem peccati expli-

Care, ergo non potest esse rationabiliter invitatus, quod plenè aperiam delictum Confessario sine periculo ulterioris damni, & in tam arcano judicio, quando hoc est necessarium, ut possim integrè meum peccatum confiteri, directam ejus absolutionem obtainere sine onere idem peccatum iterum confitendi, accipere competentem instructionem & correctionem &c. propter quæ bona Christus hoc Sacramentum instituit, & integratatem confessionis præcepit, eamque impositione sigilli facilitavit posthabitâ illis bonis pœnitentis fama, eum obligando, ut cum sui infamatione illa bona procuret: ergo, inquam, non potest complex rationabiliter esse invitus, si propter hæc ipsa bona consequenda integrè peccatum meum confitear, quando aliter non possum bona illa consequi.

Censetur autem quis non posse commodè nancisci Confessarium, cui integrè pandatur peccatum sine infamatione complicis, quando pro illo inveniendo oporteret differre confessionem cum jactura communionis paschalis, Jubilei, vel Indulgentiæ, vel quando Sacerdos solitus quotidie ex devotione celebrare, non posset differre confessionem, nisi cum jactura trium Sacrificiorum. Idem dicendum de illo, cui est tam grave privari sua ordinaria communione, quam communiter grave est Sacerdoti abstinere triduo à Sacrificio Missæ. Item, quando

quando quis deberet per triduum vivere in talis peccato , nec directe , nec indirecte remisso per absolutionem , seu , si nequiret intra paucos dies habere alium Confessarium : re quippe vera , inquit Gobat citatis Reginaldo Lugon . & Sanct - Gall . Est id non leve incommodum . Item quando quærendus esset cum magno labore , aut molestia alias Confessarius , ut notant omnes : quæ tamen molestia multò major debet esse pro excusando poenitente , qui complacem seduxit , præsertim per injuriam , quam pro illo , qui in crimen non induxit .

Judico ulterius cum eodem Gobat , & sequitur ex dictis , non delinquere sponsam confitendo , se peccasse carnaliter cum suo sponso , etsi Confessarius hunc norit : quia sponsus , nequit rationabiliter ægrè ferre sui nominacionem , cum & sponsæ sit pergrave , si Confessarius opinetur eam peccasse cum alio (quidquid sit , an fornicatio sponsæ cum alio differat specie à fornicatione cum sponso ?) & plerumque sponsus sit causa fornicationis ejusmodi . Neque agnoscimus culpm , quando mulier conjugata dicit , se hoc , aut illud peccatum carnale commisisse cum marito , vel occasione mariti , esto Confessarius hunc novriter ; modò nequeat sufficienter aperire suum peccatum , sine indicatione mariti , & illud peccatum non sit valde singulare , v.g. contra naturam : nam etiam maritus , qui fuit causa ,

vel saltem occasio peccati conjugis, minus rationabiliter ægrè ferre potest manifestationem talem.

Objicitur 1. Neminem infamare est juris naturalis ac Divini, confiteri autem integrè est solum juris Divini, ergo magis famæ proximi consulendum, quam integratæ confessionis, quia concurrentibus duobus præceptis illud implendum est, quod strictius obligat, & consequenter nec debet, nec potest pœnitens confiteri suum peccatum cum infamacione complicis.

R^e. Distingu. 1. partem ant. Neminem infamare formaliter, hoc est, sine rationabili & legitima causa, & cum intentione infamandi est Juris naturalis simul & Divini, conc. neminem infamare materialiter, hoc est, ex causa rationabili & legitima, & sine intentione infamandi, nego. Talis autem justa causa est bonum integratæ confessionis, neq; enim tanto bono derogare debet secreta infamia complicis, cui se sponte exposuit, quando cum pœnitente tale admisit peccatum, quod sciebat ipsum non posse aliter explicare. Et verò licitam esse materialem infamacionem, seu detractionem ostendi potest pluribus instantiis: nam licet aperiri ejus simulationem, qui fictis virtutibus, seu fictione nobilitatis, aut eruditio[n]is sibi facit famam, quando ejusmodi simulatio vergit in alterius detrimentum, tradunt

tradunt DD. communiter. Sic licet detegere illius simulationem, qui se fingit peritum Advocatum, Medicum, Pharmacopolem, Confessarium, quem tamen constat, talem non esse. Sic, si homicidium commissum imponatur alteri innocentι, qui capitis periculum inde subiturus est, licet aperire Authorem. Similiter, quando agitur de officio, vel beneficio conferendo, vel contrahendo matrimonio, aut suscipiendo aliquo in Religione, licet occultos & abditos defectus manifestare, si notabile incommodum alioquin debeat meritò timeri, prout optimè probant Sotus, Reding & alii. Ex quibus patet, in controversia nostra, propriè loquendo, non concurrere duo præcepta se se impedientia, quia præceptum naturale non infamandi proximum, mutata jam ejus materiā in sacro tribunali, desinit obligare, cùm lege naturali prohibita sit formalis, non materialis infamatio & detrac-
tio.

Instabis: faltem tunc non licebit mihi procedere complicem, quando jam alias peccatum meum integrè confessus sum, & modò volo confiteri generaliter: quia cùm in confessione generali non teneat omnia reperere, quæ jam semel ritè clavibus subjeci, videtur peccatum illud necessariò omittendum propter famam proximi.

Ex. Hoc argumentum plus non evincere,
D 4 quam

quàm me non teneri manifestare complicem, quando illud peccatum jam semel confessus sum, & modò volo facere exhomologesin generalem. Licitè tamen nihilominùs manifestarem, ut rectè contra Lugonem resolvunt Castillo & Haunold: quia integritas confessionis & nostrum spirituale bonum præponderat infamiae proximi, quandoquidem damnum infamionis plurimùm minuitur obligatione sigilli.

Objicitur 2. Non tenemur confiteri per interpres, ut parcamus famæ nostræ, ergo neque tenemur ad integratatem confessionis, ut consulamus famæ alienæ.

R^g. Consequenter ad conclusionem 4. art. 2. concessio ant. nego conseq. & paritatem. quia ex jure Divino non tenemur alteri, quàm Confessario propria peccata manifestare: quod Trid. declarâsse videtur, dum *Seff. 14. c. 5.* asserit, modum confitendi ab Ecclesia commendatum, quo ab initio usâ est, & modo etiam utitur, esse confitendi secreto apud solum Sacerdotem: Confessio autem, quæ fit per interpres, non fit apud solum Sacerdotem, ergo non est secreta: at verò jure Divino tenemur integram Confessionem facere, etiam cum manifestatione complicis; quando enim Deus obligat nos ad aliquem actum, censetur nos obligare ad omnia illa, quæ per se connexa sunt cum tali actu, hæc enim omnia cadunt sub intentionem

tionem præcipientis: sed cum integra confes-
sione per se est connexa revelatio complicis,
quia sine hac confessio non erit integra, ergo.

Objic. 3. Non tenemur secundùm dicta ex-
plicare circumstantiam , ex qua probabilitè
timemus , ne gravis infamia , aut grave corpo-
ris , aut animæ nostræ , vel Confessarii , vel al-
terius periculum , aut scandalum sequatur , quia
Confessarius peccatum aliis revelaturus est:
ergo etiam non sumus obligati explicare pec-
catum , ex quo apud Confessarium sequitur
infamia complicis.

Rz. Nego conseq. quia in casibus indicatis
in antecedenti sequitur infamia , aut alterius
dami , periculum *per accidens* , & aliunde , quām
ex natura & conditione ipsius confessionis , vi-
delicet ex malitia , aut imprudentia confesso-
ris , adeoque non cadit sub intentionem Chri-
sti præcipientis confessionem integrum : at ve-
rò damnum propriæ , sive alienæ existimatio-
nis apud eundem Confessarium intra cancel-
los ex homologeterii incurrendum sequitur ex
natura confessionis & *per se*.

Nota autem hīc 1. ex Amico , non posse
Confessarium complicem monere , nisi de li-
centia pœnitentis , quæ tamen sola sufficit ,
non petito complicis consensu: quod est con-
tra Vasq. etiam licentiam complicis requiren-
tem , eò quod favore sigilli non minus gaudet
at socius criminis , quām pœnitens. Sed Vas-

quezio respondetur, juxta communem DD. peccata sociorum non aliter cadere sub sigillum, nisi quatenus ex iis revelatis confitentis peccatum vel contra ejus voluntatem aliorum cooperatio revelatur. Unde si iste peccatum suum, vel alienum revelandi potestatem concesserit, non ligabitur amplius Confessarius legibus sigilli; sit tamen caurus Confessarius, etiam si Superior sit, ne se promptum offerat ad juvandum & corrigendum complicem. Quin potius consulat, ut ipse pœnitens vel per se, vel per alium officium illud præstet: vix ipse rogatus, & non nisi urgente necessitate id negotii suscipiat. Expedit etiam, ut pœnitens edat extra confessionem, & quidem, si fieri queat, scripto nomen & crimen complicis, ut Confessarius liberetur à calunnia, quod confessionem revelaverit, & pœnitens negare non possit, quæ asseveravit.

Nota 2. cum Lugone, Reding & aliis, posse occurrere casus, in quibus præceptum charitatis fraternali adstringat pœnitentem, ut Confessario pandat intra, vel extra Confessionem nomen complicis, eò quod nequeat aliter averti gravissimum malum impendens ab eodem. Propter quam causam Ferdinandus Guerrerus Archiepiscopus Granatensis acriter contendit, Confessarium posse, imo debere obligare pœnitentem ad manifestandum complicem, denegata etiam, si renuat, absolutio-

ne in sequentibus casibus. 1. Si sciret aliquem occulte dogmatizare, & seminare errores contra fidem, quem pœnitens denunciare non posset; tunc enim deberet id Confessario committere, ut ipse denuntiet. 2. Si sciat Sacerdotem aliquem abuti Sacramento Confessionis, revelando confessionis notitiam, sollicitando pœnitentes ad turpia &c. 3. Si sciret, aliquem Sacerdotem fictum ministrare publicè Sacra menta. 4. Si esset Medicus, aut Pharmacopola, qui medicinis mortiferis intendit occidere infirmos. 5. Si fœmina sollicitata ab amico mariti, sit in proximo periculo consentiendi, quia est in eadem domo, nec potest marito revelare, quia occidet illum, spes autem emendationis affulget, si Confessarius moneat tentatorem illum.

Neque dicat Pannez, qui adversus hanc opinionem se acriter unacum aliis opponit, notiam, quæ habetur ex confessione, non esse medium conveniens ad alterius correctionem, & ex hac sententia posse multa inconvenientia sequi, quod v. g. Prælatus possit confessionis notitia uti ad externam gubernationem, pro in usum illius notitiae esse injurium Sacramento Pœnitentiæ. Nam negatur, Confessarium, seu Prælatum uti Sacramentali notitia ad externam gubernationem, quam scimus Clementem VIII. Superioribus Religionum constitutione edita anno 1594. prohibuisse his verbis,

verbis. Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligenter, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confessione haberent, ad exteriorem gubernationem utantur: sed urget tantum Prælatus, delicti notitiam eouslyque extendi, ut egredi valeat forum pœnitentiale, prout pœnitens alias erat obligatus. Interim tamen moneo cum Reginaldo & Con. si pœnitens specialiter nolit facere extensionem illam, ac permittere revelationem sigilli, non posse id contra ipsius voluntatem revelari.

ARTICULUS VI.

An excusetur ab integritate materiali, qui habet casum reservatum?

ET si probabile judicet Georgius Gobat, eum, qui casu reservato pressus nequit adire Superiorem, necessitate confitendi urgente (quia e. g. debet facere Sacrum) non obligari facere ullam Confessionem, nisi soli Deo cum vera contritione, oppositum tamen quod sci- licet beat confiteri alicui inferiori, habenti potestatem in alia ejus peccata lethalia, multò probabilius esse, scribit idem experimenta lis Doctor, propter præceptum Christi de Confessione mortalium præmittenda communioni. Rectè quidem. Sed positō quod talis præmit- tat

tat confessionem apud inferiorem Confessarium, debetne cum non reservatis aperire etiam reservata? Aperienda esse, verò similius censet idem Gobat cum Suar. S. Gall. & aliis sicut communiter. Nihilominus sit

Conclusio 15. Quando obnoxius casui reservato non habes, qui te absolvat ab eo, & tamen urget necessitas Sacrificium peragendi, aut obeundæ sacræ communionis, fas tibi est, sola mortalia non reservata confiteri ordinatio conscientiæ tuæ arbitro. Ita docent Alexander Alensis, Petrus de Soto, Lugo, Reding, Leander, multique alii, qui hunc casum *ad impotentiam moralem ex parte pénitentis* se tenentem reducunt.

Probat. I. Confessio criminum reservatorum facta Sacerdoti non habenti jurisdictionem non est ut sic sacramentalis, utpote facta Confessario, qui respectu talium criminum non est legitimus Judex, nec potestatem habet ea absolvendi, ergo sicut pœniens non potest illi sacramentaliter confiteri reservata, ita nec obligatur ea aperire. Neq; ius, quod habet Confessarius ad cognoscendam pœnitentis dispositionem, aliud tunc exigit, nisi ut moraliter certus reddatur de confessione formaliter integra, & contritione tum ad valorem, tum ad effectum Sacramenti necessaria, quod totum subsistere valet, tametsi peccata reservata non explicitur,

Probat. 2. Ea peccata sunt manifestanda in confessione, à quibus quis potest directe absolvī: nam ea tantum sunt subjecta potestati absolvēntis: sed à peccatis reservatis non potest inferior, de quo loquimur, directe absolvere, ergo peccata reservata non sunt necessariò tali Confessario manifestanda.

Probat. 3. Ex regula communiter recepta apud Navarr. in c. placuit. d. 6. de pœnit. Nemo est obligandus ad confitendum bis idem peccatum: talis autem idem peccatum reservatum bis confiteri deberet, videlicet primò inferiori, & postea superiori, ergo talis obligatio imponi non debet. Quæ ratio & opinio, inquit ipse Gobat, vera est in sententia illorum, qui cum Tannero ajunt, in similibus eventibus pœnitentem absolvī solūm indirecte, & cum onere se sistendi superiori, pro directa sacramentali absolutione, non autem illorum, qui cum Marchantio, Diana, Palao ajunt, onus sistendi se superiori, non esse impositum ad percipiendam absolutionem sacramentalem, sed solūm ad accipiendo directionem, medicinam spiritualem &c. sed hæc Marchantii sententia mihi non placet. Tanneri verior videtur ideoque cum Rass. eidem adhæreo.

Conclus. 16. Habens sola venialia cum mortali reservato, non tenetur in dicto necessitatis casu Sacerdoti inferiori confiteri peccata

peccata venialia , dummodo sit contritus , si tamen velit , valide & licite confitetur simplici quoque Sacerdoti non habenti jurisdictionem in mortalia tum reservata , tum non reservata.

Priorem partem tradunt Reding Zedesma, Salmant. & probatur : nam confessio venialium non cadit sub præceptum , pro reservatis autem non adest Confessarius legitimus : ac proinde præceptum præmittendi confessionem sacræ Communioni , non obligat ad venialia confitenda , si , quod supponimus , sis contritus : Si enim existimes , te esse solummodo attritum , obligaris ad confitendum venialia ex lege præscribente ; sancte suscipiendum Sanctum Sanctorum , ut scilicet virtute Sacramenti pœnitentiae , quod vim habet conferendi gratiam justificantem , fias ex attrito contritus , & non ponens obicem eidem gratiæ.

Posterior pars traditur à Lug. Digast. Reding. contra palao & Gobat , & sic ostenditur ; nam , si pœnitens habeat saltem attritionem universalem de omnibus peccatis , absolutione venialium à simplici Sacerdote data in illo casu *valida* erit propter jurisdictionem in venialia : ac *licita* propter urgentem necessitatem & gravem causam confitendi , atque per ejusmodi absolutionē directè remittentur venialia , indirectè autem mortalia reservata.

Ob:

Ob. Nisi peccata reservata cum non reser-
vatis explicitentur, nequit Confessarius co-
gnoscere pœnitentem esse ritè dispositum ad
recipiendam absolutionem, fieri enim potest,
ut ratione cuiusdam peccati reservati pœni-
tens obligetur ad faciendam restitutionem;
aut deserendam concubitam, paratus autem
non sit ad illam faciendam, vel hanc dese-
rendam, ergo necessariò peccatum reserva-
tum cum non reservatis Confessario est ape-
riendum.

Rg. Neg. ant. quia; si quæ subsint obliga-
tiones à pœnitente præstandæ, earum volun-
tas efficax satis intelligitur ex proposito seu
formali seu virtuali efficaci non peccandi de-
cætero: neque plus cognoscere debet Confes-
sarius, cum quo in præsentí agimus.

Sed petes, quid dicendum sit, si habeas ex-
communicationem reservatam propter occul-
tam percussionem Clerici v.g. an urgente
etiam gravi necessitate communicandi, & non
datâ copia Superioris legitimi, possis aut de-
beas confiteri inferiori, qui te à prædicta ex-
communicatione solvere non potest? Vasq.
Sylvius, & alii probabiliter asserunt, in tali
casu te cum contritione posse communicare,
non autem confiteri, ut absolvaris directè à
non reservatis. Sed nobis ponenda videtur

Conclusio 17. Is, qui habet excommunica-
tionem reservatam, urgente gravi necessitate
com-

communicandi, & copiâ Superioris deficien-
te, potest confiteri peccata non reservata Con-
fessario inferiori , ut indirecte absolvatur à
peccato reservato , licet ab excommunicatio-
ne nullo modo absolvatur. Ita Suar. Co-
nink, Lugo, Salmantic.

Ratio est; quia censura excommunicationis,
sicut tunc propter urgentem necessitatem te
non privat receptione Eucharistiæ , ita nec
privat te receptione Sacramenti Pœnitentiæ
Propter eandem necessitatem.

Oppon. Excommunicatus juxta regulam
universalem , non præmissa absolutione à cen-
sura , non potest validè absolvî à peccato.
Item excommunicatio per se prohibet receptio-
nem cuiuslibet Sacramenti , & per accidens
tantum licet illi excommunicato sumere S.
Eucharistiam, ergo cum hîc & nunc sit solum
necessitas recipiendi Eucharistiam, & hâc per-
cepta cessat periculum scandali, vel infamiæ,
non debet ex licentia extendi ad recipiendum
Sacramentum Pœnitentiæ.

R. Ad i. regulam illam non ita esse univer-
salem, ut non possit per accidens in aliquo ca-
su excommunicatus, non præmissa absolu-
tione à censura , validè absolvî à peccato. Ut
præter Suarez, Conink, Lugo, Llamas, &
Thomam Sanch. bene docent Salm: cum enim
excommunicatio jure tantum positivo Eccle-
siastico arceat ab usu S. Eucharistiæ & Pœniten-
tiæ

66 Art. 7. *An excuset impotentia moralis*

tiæ, cessat ejus obligatio in casu magnæ necessitatis, vel quando alioquin oporteret diu carere Confessione & Communione &c.

Ad 2. Rz. eo ipso quod in hoc casu licita tibi sit susceptio Eucharistiæ, fieri quoque licet confessionem sacramentalem, quæ ex Divino præcepto debet præmitti Eucharistiæ. Hinc consequenter dicimus, tunc non solùm te posse, sed debere etiam præmittere confessionem peccatorum, quæ reservata non sunt, ut observes, quantum fieri potest, divinum præceptum confitendi mortalia ante Communionem.

ARTICULUS VII.

An ab integritate materiali confessionis excuset impotentia moralis ex parte Confessarii?

HAc impotentia excusari posse contendunt Cajetanus & alii, qui partim simpliciter, partim quâ probabile asseverant, posse Prælatum sola peccata reservata audire, & absolvere, dum ei propter occupationem & varia negotia non vacat integrum audire confessionem.

Fundamentum doctissimi Cajetani est consuetudo Ecclesiæ Romanæ, in qua discutienda, inquit, non oportet nimium sapere.

Verum hanc sententiam improbant quâm plures à Suarez relati DD. quibus cum ipso accedunt

cedunt Vasquez, Lugo, Conink. Neque nos terret aut ratio, aut censura Cajetani : nam optimè respondetur cum Durando , & Sylvestro , qui fuerunt Magistri sacri Palatii , vel Superiorum tunc absolvisse à debito sibi confitendi , conferendo inferiori potestatem absolvendi , vel solùm sustulisse à reservatis censuram , ratione cuius summi Pontifices peccata sibi reservant. Quare videtur nobis præsens difficultas sequentibus Conclusionibus resolvenda.

Conclus. 18. Validè, non tamen licetè agit Superior , si sine legitima gravique causa sola peccata reservata audiat , & pœnitentem sacramentaliter absolvat. Sic DD. communiter.

Prob. 1. pars. Quando concurrunt omnia substantialia ad valorem Sacramenti, subsistit Sacramentum ; sed hic concurrunt omnia substantialia : adest namque confessio dolorosa, & formaliter integra (peccata enim non reservata habent se , sicut ea quæ Confessarius sine culpa pœnitentis non audivit) & pœnitens à reservatis absolvitur directè , ab aliis indirectè : ergo fit verum Sacramentum, cùm adsit vera materia , & forma. Altera pars patet ; quia integritas confessionis est juris Divini , ergo sine rationabili causa violari non potest, nec enim sufficit , integritas formalis, nisi subsit gravis causa , qualis hic non intercedere ponitur.

Conclus. 19. Causa sufficiens reservata solum audiendi, & ab iisdem sacramentaliter absolvendi, non est communis negotiorum multitudo Superiori incumbens. Ita Sanct. Gall. & Abbas Zwifaltensis, Salmant. Ratio est, tum quia haec confessiones non sunt tam frequentes, & hoc ipsum est de negotiis gravioribus ad Superiorem pertinentibus, meritò multis aliis præferendum: tum quia Prælatus potest reservata audire extra confessionem, si poenitenti placet, & sublata reservatione, ac injuncta simul poenitentia, poenitentem pro absolutione sacramentali ad inferiorem Sacerdotem remittere; vel etiam iis prorsus non auditis vices suas alteri Sacerdoti, de cuius prudencia & scientia confidit, committere, cum ordinaria jurisdictione prædictus sit: vel denique subdito etiam præcipere, ut confessionem in tempus opportunum differat.

At enim: subditus non vult extra confessionem delictum suum Superiori aperire (ut jure potest) & dein Sacerdoti inferiori sacramentaliter confiteri, cum à primo judice perfectè audiri ac absolvî posset, & interim illi est omnino necessaria confessio (v. g. ne alias scandalo communionem omittat) Prælato quoque ob specialia negotia non est occasio audiendi totam confessionem, nec comoditas delegandi jurisdictionem, an non saltem tunc potest Superior licite audire tantum peccata reseverata.

vata, & ab illis absolvere, pro non reservatis autem mittere ad inferiorem? sit ergo

Conclusio 20. Si aliquando contingat, ut Superior à gravissimo negotio se expedire, ideoque totam confessionem audire non valeat, & alijunde judicet, inconveniens esse, quod peccatum reservatum ad inferiorem remittatur, neque subditus ob necessitatem communicandi commodum tempus exspectare possit, licebit Prælato, sola reservata audire, & absolvere. Ita Vasq. Rass. Salmane. & alii.

Ratio: quia hic gravissimus casus sufficientem præbet causam dimidiandi confessionem, qui tamen non facilè accidet, cum vix sit futurum, ut omnes istæ circumstantiæ concurrant, sicut optimè notant Sanct. Gall.

Conclus. 21. Quando pœnitens semel fuit à suo Superiore à solis reservatis absolutus, non tenetur ea iterum inferiori confiteri. Sic Gerson, Major, Victoria, Ledesma, Rassler, contra Navarrum & alios plures.

Probat. quia nemo tenetur secundò ea confiteri peccata, quorum directam absolutionem accepit: hæc enim obligatio nec ex iure divino, nec positivo probari potest: atqui pœnitens noster à reservatis directè à Superiori absolutus est, ergo non habet obligacionem & duplicatum onus, ea iterum inferiori

70 Art. 7. An excuset impotentia &c.

confitendi , sed , postquam primo judici integrè formaliter confessus est , potest se solari illo veteri verbo :

*Ultra posse meum non lex me justa coagit ;
Nec putat esse reum , qui totum posse peregit.*

F I N I S.

Ut in omnibus glorificetur D E U S.
S. P. Bened. C. 57. Reg.





